



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. XIV. Congregationes variæ Patrum Eremitarum S. Augustini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

CAPVT XIV.

Congregationes varia Patrum Eremitarum S. Augustini.

VT Canonorum Regularium, sub Diti Augustini signis militantium, variæ sunt familiæ, supra à nobis commemoratæ, sic & Eremitarum variæ sunt Congregationes in Italia præsertim florentes, sed quæ vnum eundemque Priorem seu Præfectum Generalem, Romæ ordinariè residentem, cum alijs agnoscunt.

Congregatio Lombardiæ.

INter alias eminet reformata Congregatio Lombardiæ, anno 1444. per *Gregorium Roquiunum Papiensem*, & *Gregorium Cremonensem* in vrbe Cremensi instituta.

Huic Congregationi subsunt 60. amplius conuentus seu monasteria, quæ enumerat Corn. Lancilottus sub finem Vitæ S. Augustini, typis Plantinianis editæ. Eminent inter alia huius Congregationis monasteria Casalense, in Ducatu Montis-ferrati, quod insignne gymnasium habet adiuctum, à Cl.^{mo} viro Andrea Treuisio institutum.

Quod exemplum, vt boni omnes sperant, alia in primis eiuſdem Congregationis conuentionibus nobis

nobia (in ijs præfertim opidis, quibus defunt
scholæ Patrum Societatis Iesu) imitabun-
tur.

Congregatio Illecitana S. Salvatoris.

Fuit ea anno 1050. instituta apud Senas Ita-
liæ urbem, & complectitur conuentus se-
ptem, ab eodem Lancilotto enumeratos.

Congregatio Carbonaria.

Ista originem sumpsit anno 1399. in regno
Neapolitano, per *Simonem Cremonensem*, &
habet sub se monasteria XIII. ibidem recen-
ta.

*Congregatio Perusina, aliàs S. Maria
de populo.*

Instituta fuit anno 1424. in Umbria, & cõ-
uentus septem complectitur, quos ibidem
curiosus lector reperiet.

*Congregatio Genuensis, seu S. Maria
de Consolatione.*

Complectitur illa conuentus duos & vi-
ginti, ab eodem Lancilotto commemora-
tos. Fuit inchoata anno 1484. per quendam
nomine *Baptistam*, natione Genuensem:
vnde

vnde & *Baptistarum* Congregatio à quibusdā dicitur.

Congregatio montis Ortoni.

COEpit illa in monte Ortono apud Patavium anno 1460. præeunte *Simone Cambrinensi*, qui pacis inter Venetos & Ducem Mediolanensem anno 1458. auctor ac conciliator fuit, & monasterium B. Pacis, inde sic dictum, Venetijs excitavit. Sunt huius Congregationis conuentus sex, loco citato pariter recensiti.

Congregatio Apulia seu Dulceti.

HAnc primus excitavit anno 1492. in Apulia *Felix* natione Apulus: suntque sub ea conuentus XI.

Congregatio Calabria seu Zampansensis.

DEbet ea initium suum *Zampans*, natione Calabro, quod id posuit anno 1502. in Calabria. Complectitur monasteria amplius triginta, quæ recitat Lanciottus citato loco.

Congregatio Dalmatia.

Congregatio S. Augustini de Dalmatia, à qui-

quibusdam anno 1502. ab alijs 1511. scribitur instituta fuisse in Dalmatia seu Sclauonia.

Congregatio S. Mariæ de Colorito in Calabria citeriore.

Complectitur ea non nisi quattuor aut quinque conuentus, ab eodem Lancilotto enumeratos: quos inter eminet Romanus cccc. martyrum.

De his alijsque Congregationibus vide plura apud Iosephum Pamphilum, Corn. Lancilottum, ceterosque rerum Augustinianarum scriptores. Conuentus verò oēs singularum Congregationum enumerat Lancilottus.

Congregatio Communitatis in Gallia.

IN regno Franciæ triginta plus minus sunt Eremitarum Augustinianorum monasteria optimè reformata, veterisq; disciplinæ obseruantissima: inter quæ eminet *Bituricense*, & *Parisiense*. Itaq; vtinam isti Patres in primis scholas erudiendæ iuuentuti aperiant, magno haud dubiè Ecclesiæ Gallicanæ commodo id facturi.

Congregatio S. Antonij in Monte Vulturno, quæ est Eremitarum apud Belgas.